



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt XLVI. Ecclesiasticvs Non sit litigater.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

uorem emulationis deserit, aut rursum in emulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. Et lib. 5. Moral. c. 33. idem sanctis. & sapientis. Pontifex: Cum per zelum, inquit, animus mouetur summopere curandum est, ne hec eadem que instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina prebeat, sed velut ancilla ad obsequium parata a rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus seruire contemnit, & tanto se impudentius dilatat, quanto impatientia vitium, virtutem putat.

§. Preclare Sanctus Ambrosius libro 5. epistola 29. Sacerdotes turbarum moderatores sunt, studiosi pacis: nisi cum & ipsi mouentur iniuria Dei, aut Ecclesie contumelia. Hec zeli moderatio in corrigendis alienis vitiis maxime seruanda. Recte Sanctus Isidorus libro tertio, de summo bono cap. 41. Bene alieni peccati curanda vitia suscipit, qui hoc ex cordis dilectione, & humili conscientia facit. Caterum qui delinquentem superbo vel odioso animo corripit, non emendat, sed percutit: quicquid enim proteruus, vel indignatus animus protulerit, oburgantis furor est, non dilectio corrigentis.

CAPVT XLVI.

ECCLESIASTICVS NON
sit litigator.

§. **N**VLLI conuictum vel contumeliam faciant, a iurgio & litigio temperent. Sic enim precipit Apostolus, Clericum oportet esse non litigiosum, 1. Timot. 3. v. 3. & 2. Timoth. 2. vers. 14. Noli contendere verbis, ad nihil enim De asini vni utile est, nisi ad subuersionem audientium. Et versiculo vigesima contem- mo tertio & vigesimo quarto. Stultus & sine disciplina querio vitanda. stiones deuita, sciens quia generant lites. Seruum autem Do-
mini

nini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Tit. 3. versic. 9. Stultas autem quaestiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vana. 1. Corinth. 11. versic. 16. Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Philip. 2. v. 3. Nihil per contentionem neque inanem gloriam. Sanè Apostolus censuit potius iniuriam patiendam, quam iure contendendum, praesertim cum sinistra opinione, 1. Corinth. 6. versic. 7. doctus utique à Christo, Matth. 5. versic. 40. Ei, inquit, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

§. Quod adeo verum est, vt neque gentiles fugerit. Chilonis tria praecipua aureis literis Delphis consecrata fuere. 1. Nosce te ipsum. 2. Ne nimium capias. 3. Aeris alieni atque litis miseriam fac effugas.

CAPVT XLVII.

*LITIGATIO QUANTO ECCLESIA-
sticis familiarior, tanto cautius de-
clinanda.*

§. **H**Oc contendendi & litigandi studium siue potius vitium, quanto minus à Clericis alienum, tanto studiosius euitandum, hoc enim humani generis hostis inter fratres serere semper conatus est, quemadmodum de Abel & Cain, Genesis quarto, versic. quinto. De Joseph & fratribus eius legitimis, Genesis trigesimo septimo, versiculo quarto. Quin parum aberat, ab omnium illo sanctissimo Collegio, nempe Apostolico, Lucae vigesimo secundo, versiculo vigesimo quarto. Matthæi decimo octauo, primo. capite vigesimo, vigesimo quarto. nisi pacificator Christus Jesus intercessisset, ac Sathanam repente recisisset.

§. Hæc